



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Coram quo Iudice & in quibus causis reconventio locum habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

cap. II. Præsertim cum videamus Pontificem delegati Judicis jurisdictionem ad causam, in delegationis rescripto non expressam specialiter reconventionis favore prorogasse & voluisse modum procedendi, datum in causa conventionis, intelligi repetitum in causa reconventionis, c. 1. & 2. h. t. Constat autem competentem esse iudicem alicujus, qui in eam jurisdictionem à lege habet, l. 1. D. De eo cui mand. est iurisdic.

Adde quod, cum liceat Clerico laicam coram Judice Ecclesiastico reconvenire, æquum sit, ut laico quoque liceat Clericum coram Judice reconvenire laico: In iis scilicet causis, de quibus cognoscere laicus potest, non etiam in iis, de quibus cognoscere nequit, veluti in causa matrimonii, decimarum, & aliis spiritualibus: Item criminalibus, quæ infamant aut capitales sunt, Glossa in c. At si Clerici in v. tenet & ibi late Panormit. num. 20. & seq. sup. De iudicis, Clarus Præf. crimin. quest. 36. n. 6.

4. Neque obstat, quod privilegium Clerici, ne conveniatur coram laico sit totum ordinem Clericorum concessum: Nam pariter, quod Legati legationis tempore conveniri non possunt, publicæ utilitatis favore inductum est; & tamen reconveniri eos posse constat, ex lib. 2. §. sed etsi agant D. De iudicis. Indeque sequitur dumtaxat, Clericum non posse prorogare iurisdictionem laici in se, in præjudicium ordinis Clericalis, non autem quod ipsa lex id non possit.

5. Non obstant quoque jura, quæ verant Clericum à iudice sæculari absolvi vel condemnari, sub pœna excommunicationis cap. 1. 2. & d. cap. Si diligenti sup. D. De foro competentis, can. Denique Distinct. 96. quia intelligi possunt de causis merè spiritualibus, vel quo ad conventionem, prout in c. Qualiter 16. sup. De iudicis. indicat illa verba, Ne Clerici trahantur à Laicis ad iudicium sæculare.

§. II.

Coram quo, & quibus in causis locum habeat reconventio.

1. Coram iudice delegato reconvenire licet.
2. Et in causis omnibus non prohibitis.
3. Non in causis criminalibus criminaliter intentatis.

4. Non in causis executionis.

5. Non in causa appellationis.

6. Aut quarum natura & qualitas repugnat.

Potest autem reus auctorem reconvenire non solum coram ordinario Iudice, sed & delegato, c. 2. h. t. & ibi Abbas, Maranta, 4. p. dist. 6. n. 13. Nisi Iudex delegatus de consensu utriusque partis datus sit: Nam eo casu locus reconventioni non est, quia cessat ratio d. c. Cum Papinianus quandoquidem non à solo actore sit impetratus iudex, sed & à reo. Ob eandem rationem reus actorem reconvenire non potest coram arbitro compromissario, c. Cum dilectus 6. sup. De arbitris late Maranta d. p. 4. Distinct. 6. n. 20. quippe qui de iis dumtaxat possit cognoscere, quæ expresso litigatorum consensu in compromissum deducta sunt, d. c. Cum dilectus, l. De his D. De arbitris. Neque etiam coram Iudice, quem Princeps proprio motu elegerit, nam & tunc cessat dicta ratio, Jaf. in l. 3. in princ. col. fin. D. Quod quisque juris, & c.

2. Habet verò locum reconventio in omnibus causis, in quibus non reperitur expressè prohibita, nec repugnat causæ qualitas. Et proinde in causis quoque summariis, Clement. Sape §. verum De verb. significat, & quidem indubiè, si utraque causa sit summaria: Alòquin una sit summaria, altera plenaria, procedit quidem reconventio quoad prorogandum Iudicem, ut constat ex d. Clement Sape, quæ indistinctè loquitur, sed non quo ad hoc, ut unà sententiâ terminentur, Maranta d. Dist. 6. num. 38. In quibus verò casibus habeat locum reconventio de jure communi, videre quoque licet apud Menoh. De arbitris cent. 2. casu 184. Thoming Decis. 16. Mynl. Centur. I. Observ. 10.

3. Non habet autem locum; Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis, nisi reus reconveniendo vel majus crimen objiciat, vel prosequatur suam suorumve injuriam, l. 1. & l. Negando 19. Cod. De his qui accus non pos. l. Is qui §. & ibi Glossa & Bart. l. De publ. iudic. late Abbas in c. 1. nu. 22. h. t. quia non objectione aut relatione criminis, sed sua innocentia reus purgatur, d. lib. Is qui §. can. Neganda. & per tot. l. 1. q. xi. Quinimo reus criminaliter conventus actorem ne quidem civiliter recon-

convenire potest, vel contra, *lib. 2. §. sed et si agant D. De judiciis*. Nam pendente criminali causa locus quaestioni civili esse non potest. *l. fin. Cod. De ord. judic.* nisi civili disceptioni mota principaliter quaestio incidat criminalis, vel criminali iudicio prius instituto civilis causa adiungatur, tunc enim Judex sua sententia, super principali lata, utramque quaestionem dirimet, quia sublato principali accessorium quoque corrumpit, *lib. Cum principali D. De reg. Iuris. cap. accessorium eod. tit. in 6.* Civiliter vero de crimine conventus potest auctorem reconvenire de alio, crimine civiliter, coram Iudice competenti, id est qui sit Judex competens reconventi, Maranta *d. Dist. 6. num. 68.*

4. Secundò, non habet locum in causis executivis, quando scilicet petitur executio instrumenti confessionati, quia habet vim sententiae, Bald. in *d. Auth. Et consequenter numer. 17. C. De sent. Et interloc. om. jud. Gutierrez, 1. Pract. quast. civil. quast. 112.* ut nec in deposito, *lib. penult. C. Deposui lib. ult. §. in fine D. De compensat. capit. fin. inf. De deposito*; Quia instrumentum depositi paratam habet executionem. Quod intellige de conventionione qua celerem rei depositae restitutionem impedit, & pari passu ambulet, eo quod in deposito fides exuberare debeat.

5. Tertio, non habet locum in causa appellationis, *lib. 1. Eum qui appellat 1. in provincia defendi* quia appellatio communiter necessitate impellente interponitur, nempe propter injuriam, quam appellans putat sibi illatam esse Maranta *lat. d. Dist. 6. n. 24.* ut proinde cesset ibi ratio *d. l. Cum Papinianus.* Quod intellige de appellatione judiciali.

6. Denique non habet locum in iis causis, quarum qualitas & natura reconventioni repugnat, & de quibus Judex conventionis cognoscere nequit, uti laicus de spiritualibus. *Gloss. in c. 2. in fine h. 1. Et ibid. Abbas num. 28. Et seqq. Bald. in d. Auth. Et consequenter n. 5. Et 6. Videatur Gisebert. Tractat. de reconventiono cap. 24. num. 14.*

Non permittitur etiam auctori reconventorum iterum reconvenire, ex communi sententia, ne nimia petitionum coactio Iudicem plus satis gravet, sibi quoque mutuo auctor & reus officiant.

Quando proponi reconventio debeat.

1. Ante vel post litem contestatam proponendam esse.
2. Etiam ad sententiam usque.
3. Causa conventionis & reconventionis pari passu expedienda.

1. **P**ROponi reconventio debet ante litem contestatam, *Clam. Sapè vers. Verum de verb. sig. vel saltem statim post litem contestatam*, priusquam scilicet juretur de calumnia, dum modo reus velit causam reconventionis cum causa conventionis simul eodem iudicio terminari, ne alias cum gravi dispendio auctoris differri conventionis causam contingat. 2. Alioquin locum esse reconventioni usque ad sententiam, vel saltem conclusionem in causa, durante iudicio conventionis, verius est, *arg. c. Dispendia 3. vers. Roma est quoque de rescriptis in 6.* ubi dicitur, eam eodem durante iudicio, auctorem sibi obnoxium dicere posse, & experiri apud eundem iudicem, conventionis vel reconventionis beneficio; Quia iudicium dicitur, dum negotium discutitur, & *Forus in prima. inf. De verb. signif. dicitur usque ad sententiam seu conclusionem causa.* Deinde in Novella 96. §. illud. vers. Sancimus dicitur, non prius causam reconventionis proponi posse apud alium Iudicem, quam prioris conventionis finem acceperit; quod fit per sententiam, *l. D. De res. judic.* Unde quod in quibusdam textibus dicitur, reconventionem statim esse movendam, ut in *d. Auth. Et consequenter* vel in continenti, ut *c. 1. h. 1.* ita intelligendum est, durante scilicet adhuc eodem iudicio, si reus conventus velit coram eodem Iudice auctorem reconvenire. Quia coram alio audiri non debet, nisi terminata lite conventionis, *d. vers. Sancimus in fine.* Vel quod statim & in continenti proponi debeat, id est vel ante litem contestatam, vel statim post, ut simul terminetur cum causa conventionis. Alioquin pari passu non ambulet cum conventionione, nec per eam causa conventionis retardabitur secundum Marantam *d. Dist. 6. num. 5. ubi alios citat*, ut neque quando alterutra causa celeritatem postulat, & periculum imminet animarum; nam prius decisa causa debet, de qua liquebit prius, *cap. ex em.*